Vers. 13.) Oblivioni datus sum tamquàm mortuus à corde.

Factus sum tamquàm vas perditum.

Vers. 14.) Quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu. In eo dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt.

a 2. Reg.16. 5. & seq. b 1. Reg.25. 10. c 2. Reg.17. Mystici sensus.

SIc me omnes deseruerunt, ut penitus excluserint de corde, memoriaque perinde ac si penitus ex vivis esse desiissem, sed & contemptui habitus sum apud vicinos, & prorsus ut inutile vas despectus, ac rejectus, dum conviciis afficiebant me: quod cum Semei *a*, & Nabal *b* alios præterea multos fecisse credendum est. Denique varia ceperunt de perdendo Davide consilia; quale quod Achitophel dedit *c*. De Christo, & de Ecclesia mysticos sensus facilè contexes ex his, quæ priùs dicta sunt; & nonnihil adhuc attingetur.

d 15. Orig. c.11. Monumentum unde dictum.

Oblivioni datus sum tamquàm mortuus à corde.) In Psalterio Ambrosiano, *Exivi tamquàm mortuus à corde*, nempe exivi à corde, vel Dei vel aliorum, quod est, oblivioni dari, ac tradi, ut solet mortuus, quod Augustinus legit, *oblitus sum*, passivè. Apud *d* Isidorum citatur hic locus. *Excidit tamquàm mortuus à corde*: qui docet propterea *monumentum* dici, quod mentem moneat ad defuncti memoriam. *Quum enim non videris*, ait, *monumentum, oblivisceris monumentum*: hoc autem dictis verbis significari. Recta constructio est, *Oblivioni à corde*, idest, cordis, *datus sum, tamquàm mortuus*. Quasi dicatur cor oblitum esse, quod Itali dicunt: (*Scordarzi*) & Galli contrarium (*apprendere par caur*.

e Ps.87.6.

De Deo queri videtur in alio Psalmo David, similem se factum vulneratis, qui dormiunt in sepulchris, quorum non est memor ampliùs, & ipsi *de manu ejus repulsi sunt* e, ut nempe ampliùs hic vivant. Nihilominus videtur hoc loco intelligere de oblivione hominum, non Dei, ut contextus antecedentium & consequentium satis demonstrat.

Cor interdum pro memoria: undè recordari.

Chaldæus Paraphrastes, *à corde*, nectit cum *mortuo*: sic, *Oblivioni traditus sum sicut jacens, qui despondet animam*, quamvis aliter legat; & vertat Nebiensis, *Oblivioni traditus sum ab eis, tamquam mortuus à cogitatione*. Ipsa per se oblivio negligens est: sed magis exaggeratur per ἐπίτασιν, quòd sit *à corde*: ac veluti ejectio recordationis de memoria, quam *cor* interdum significat, unde & *recordari*.

Cajetani observatio. f c.9.6.

Cajetan. tamen observat, mortuum in recordatione quidem nostra esse, in lingua, in libris, in laudibus, in sepulchris, i. e. in Epitaphiis, numquam tamen in corde, utpote quibus, inquit, nulla nostri cordis affectio utilis apparet: videlicet secundùm utilitatem præsentis, qua carent, vitæ. De sententia Ecclesiastæ *f*, quòd *oblivioni tradita est memoria* mortuorum, consule si libet Commentarium nostrum.

g Serm.48. Augustini falso assumptū nomen. Romanorum mos cadavera cremandi.

Annotat prolato hoc loco sermonum Auctor ad Fratres in Eremo *g*, in die mortis quemlibet à suis excludi, propterea videndum quales amicos habeas, pro quibus animam perdas. Sed fictitium Augustinum esse convincit, quòd se ductum ad videnda opera Paganorum, cum matre Romæ vidisse cadaver Cæsaris in sepulchro scribit, livido colore ornatum, putredine circumdatum, ventrem ejus diruptum, vermium per illum catervas transeuntes. Nam cremabantur, non integra includebuntur, cadavera Romanorum, præsertim Principum: De Julio & Augusto satis constat, nec scio quem Cæsarem intelligat. Alia sunt, quæ dictum Auctorem Augustini nomine indignum reddunt.

h Ferch. de Funerib. In veterum sepulchris cor insculpi cur solitum. Mystica expositio. i Epist.2. k Gal.2.20.

Produnt *h* in veterum sepulchris insculpi cor solitum, ut superstites testificarentur suorum hærere memoriam in corde, tametsi sepulchro illi essent inclusi: nimirum hoc monumento volebant testificarri se longiùs abesse à communi oblivionis vitio adversus mortuos. Mysticè Bernardus i *oblivioni datum tamquam mortuum à corde* explanat à propria voluntate, dum te nescis, ut proximo prosis: non tibi vivere studes, sed ei, qui pro te mortuus est: vivis, sed non tu; vivit verò in te Christus *k*: & es vulneratus caritate, quæ mortem in te non vitam occidat.

Vas pro quolibet instrumēto. l Act.9. 15. m Isa.30.14. Ps.2.9. Jer. 18.4.c.19.11. c.22.28. n Act.9.15. o 2.Tim.2. 21. p Eccl.21.17 q Jer.22 28. r Ser. de S. Benedicto. Accommodatitia Bernardi expositio. s Dier. Tom. 3. Dom. 1. post Epiphan concione 2. Parum apta expositio. t Osorius Dom. infra Oct. Epipha. u Mat.18.12 & seq. Luc. 15.4. & seq. x Ps. 118. 176. y Gen.37.15 z Luc.2.44. & seq.

Factus sum tamquam vas perditum.) Chaldæus restringit ad vas testaceum, quod frangitur. Alioqui כלי *cheli*, & σκεῦος: & *vas* ex usu scripturæ pro quolibet instrumento sumitur, ut alibi documus *l*, & de aliis etiam profanis Auctoribus Budæus *m*. *Perditum* intelligitur non tam prorsus amissum, quàm inutile, quod certè de vase testaceo maxime verum est *n*. Hebræa vox אבד *oued* potest significare *perdens*, nempe res quas continet, quæ, quia fractum est, excidant. *Vas electionis* Paulus, & omnes Electi vasa utilia Domino *o*: vas perditum, quod nec aliis prodest, nec sibi. *Cor fatui quasi vas confractum* p, *& omnem sapientiam non tenebit* q. *Numquid vas fictile atque contritum vir iste Jechonias* r: *numquid vas absque omni voluptate? Quare abjecti sunt ipse, & semen ejus, & projecti in terram quam ignoraverunt?* Quamquam *s* Bernardus accommodatitie, ut solet, loquens, alio sensu dicit fieri *vas perditum*, qui nihil umquam pro se facit, sed omnis ejus intentio, & omne desiderium tendit ad Dei placitum, & utilitatem fratrum suorum. Feram libenter, ac venerabor hujus generis Patrum dicta: sed fictas quas vocant conceptiones numquam sine stomacho lego, nullo nixas litteræ fundamento, sæpè quoque repugnantes. Sic quidem *t*, *vas perditum* exclamat factum Christum, quia utilis nobis ad multa: quemadmodum, inquit, vas quidem novum adhibemus ad pauca, ei veluti parcentes: in fractum verò infundimus aquam, atramentum, terram, ipsas domus sordes. Debeo ista quandoque refellere, ne qui legunt æstiment non æstimanda: & assuescant parum gravibus proferendis pro concione sententiis, quasi tam sit inops divina scriptura, prout explicatur à Patribus, ut ad nænias abique delectu sine judicio tam avidè recurratur. Nec magis aptè, qui *perditum vas* Christum interpretatur *u* quasi amissum, & ideo sic perditum, ut perditam quæreret ovem *x* servumque *y*; quemadmodum Joseph quum fratres *z* quærebat, errabat ipse: atque hoc indicatum, quando parentes Jesu illum amiserunt in templo *a*.

Voluit David significare se ab amicis veteribus neglectum, utilitate sola metientibus, atque colentibus amicitias, non ingenuè liberaliter, & ab iisdem haud secus desertum, rejectumque, quàm fictile vas confractum, quod in sterquilinium projicitur. Atque hoc sordidum, ac turpe.

b Euripides

Οὐκοῦν *b* τὸ δ' αἰσχρὸν εἰ βλέποντα μὲν φίλῳ
Χρώμεσθ', ἐπεὶ δ' ὄλωλε, μὴ χρώμεσθ' ἔτι;

Quàm turpe si quem vivum amicum sensimus,
Huic desinamus amici esse mortuo.

c Ovid. de Tristibus, ad Canum.

Turpius, si nondum mortuo, sed calamitoso, denique verè alius *c*:
Ut cecidi, cunctique metu (meam) *fugere ruinam,*
Versaque amicitiæ terga dedere meæ.

Quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu. (Hieronym. *Audivi enim opprobrium multorum, congregationem in circuitu.* Alii: *Pavor, vel timor circumquaque est.* Augustinus, *Accolentium in circuitu.* Psalterium Romanum, & Ambrosianum, *circumhabitantium.* Aquila συστροφῆς, *turmæ*, globi militaris, aciei collectæ, conjurationis. Est מגור *magor* à verbo גור *gur*, *pavor*, peregrinatio, congregatio, commoratio, conjuratio. Interpretes LXX. secuti ultimam notionem, clariùs expresserunt per participium παροικούντων. *Vituperatio multorum in circuitu commorantium*, quam profert David, vel ut caussam, cur habitus sit tamquàm *vas perditum*, vel ad amplificandam calamitatem, ut non solùm nihil fieret, ac deseretur, & reiiceretur, sed etiam malevolè, & insidiosè verbis factisque tractaretur, denotat cum eleganti quadam paronomasia דבת רבות *dibbath rabbim*, calumnias, falsaque crimina, probra, & maledicta, quæ propriis audiebat auribus à Nabal *d*, Semei, *e*, aliis. Eusebius atque Athanasius putant, quum seipsum David maceraret, ac discruciaret præ pœnitudine, uterinos & contubernales etiam resisse illum, & convitia jactavisse: invisibiles autem hostes conspirasse, ut animam raperent: ipsum verò tanto magis pœnitentiæ se addixisse, ut flecteret ad misericordiam Deum. Fieri id potuit:

d 1.Reg.25.4 e 2.Reg.16.6

tuit: factum non video. Quare credamus, quod attinet quidem ad contextum præsentis loci.

a cap.20.10

Potiùs verbis Jeremiæ *a* loquentis de seipso, translatis ad Davidem, Davidis in hoc loco mens videtur exponi posse. *Audivi enim contumelias multorum, & terrorem in circuitu. Persequimini, & persequamur eum: ab omnibus viris, qui erant pacifici mei, & custodientes latus meum: si quo modo decipiatur, & prævaleamus adversus eum, & consequamur ultionem ex eo.*

b c.7.2. Paradoxum Augustini. c In Ps.108

Gravissimum est vituperationis ψόγου נבת *gibbath* damnum: pessima famæ jactura: hac qui caret, inter homines planè perditus, nullius pretii, perditus omnino censetur. Nonnihil hac de re dixi in expositione Ecclesiastæ *b*: *Meliùs est nomen bonum, quàm unguenta pretiosa.* Adjice paradoxum Augustini *c*: *Plus nocere in membris detrahentes Christo, qui animas credentium interficiunt, quàm qui ejus carnem mox resurrecturam peremerunt.*

In eo dum convenirent simul adversum me.) Hieronymus: *Quum inirent consilium adversum me* בהוסדם *behiuuasedam*, *In consultare eos*, dum consultarent ipsi: Augustinus, *Dum congregarentur ipsi simul.* Psalterium Romanum: *In eo dum congregarentur omnes simul.*

Ἐν τῷ ἐπισυναχθῆναι αὐτοὺς ἅμα ἐπ' ἐμέ,

d Joan.11.47 e Eccl.26.5. 6.7. f Jer.18.23. g Gen.49.6.

Accipere animam meam consiliati sunt.) Hieronymus: *ut auferrent animam meam cogitaverunt.* Augustinus: *ut acciperent*, &c. Eodemque pacto Psalterium Romanum, & Ambrosianum. Consilium contra Davidem, typus fuit illius, quod collegerunt Pontifices, & Pharisæi adversus Jesum *d*. *A tribus timuit cor meum: Delaturam civitatis, & collectionem populi, calumniam mendacem, super mortem, omnia gravia*, &c. *e*, *Tu Domine scis omne consilium eorum adversum me in mortem* f: *In consilium eorum non veniat anima mea, & in cetu illorum non sit gloria mea* g.

Vers. 15.) Ego autem in te speravi Domine: dixi: Deus meus es tu.

Vers. 16.) In manibus tuis sortes meæ. Eripe me de manu inimicorum meorum, & à persequentibus me.

HOc quidem se modo hostes gerunt contra me. At ego in spe hæreo firmus, ac tutus tua: tibique dixi ex animo, te meum Deum esse: & quantumlibet videar inimicos effugere non posse, certus sum, non esse in eorum potestate, me, quum voluerint occidere: quia vitæ, ac mortis meæ cuncta penes te dispositio est, omniumque rerum quæ mihi vel prosperæ, vel adversæ contingere possunt: vincere possum, non solùm vinci, omniumque vicissitudines tu moderaris. Quapropter quæso, ut liberes me, ne prævaleant inimici, neque, quod machinantur, perficiant.

Ego autem in te speravi Domine.) Hic persecutionis eximius fructus, ut discat homo non confidere, & non sperare in homine, ac in isto, quasi in ubere materno mammotrepus, inveniens amaritudinem, removeatur à lacte, ad mensam, & ad cibum solidum inhiet, ut Augustinus monet.

h vers. 2.

Dixi: Deus meus es tu.) Lege Psalmum decimum quintum *h*.

i vers.1. k vers.7.

In manibus tuis sortes meæ.) Hieronymus: *In manu tua tempora mea*: Psalterium Romanum, *In manibus tuis tempora mea*: & ita legitur in Officio Missæ non semel, & id valet Hebræum עתתי *hbitthothai*, nempè temporum opportunitates, atque tempestivitates, quas Itali vocant *Staggioni*, Galli, *Saisons*, Hispani, *Sazones*: de quibus sub eadem voce in cap. 3. Ecclesiastæ *i*: *Omnia tempus habent*, &c. לכל זמן ועת *lachol zamen vehheth*, τοῖς πᾶσιν ὁ χρόνος καὶ καιρὸς *k*: Et capite primo Actuum Apostolorum: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta*, χρόνους ἢ καιρούς: Cujus utriusque loci nostrum, si vis, adi Commentarium. Chaldaicè: *In manu tua sunt tempora redemptionis tuæ.*

l vers.11. m Ps.76.6. n Isa.38.12.

Quum autem adeò constanter legant Patres Græci κλῆροι, sicque habeatur in codicibus item Græcis, cessat suspicio, ut errore aliquo pro καιροί, κλῆροι irrepserint: præsertim quum Eusebius κλῆροι retinens, testetur ex Hebræo legendum, κλῆροι, itaque legisse ceteros interpretes: quod item annotant Basilius, ac Theodoretus.

Extat, ut observatur in Notationibus Bibliorum Sixtinorum, exemplum simile in libri Judicium capite XXI. *l* ubi pro Hebræo כעת *chabbeth secundùm tempus*, codex Vaticanus habet: ὡς κλῆροι, ἐπλημμελήσατε quod in editione cōmuni habetur ὅτι οὐκ ἐπλημμελήσατε. In libris Complutensibus. Κατὰ τὸν καιρὸν ὑμεῖς ἐπλημμελήσατε. In vulgata editione Latina: *A vestra parte peccatum est.* Placuit LXX. Interpretibus pro *temporibus* ponere *sortes* κλήρους, & non καιρούς, fortassis, ut non omninò malè conjicit Agellius, ut Gentilium fabulas everterent de Parcis, Lachesi, Clotho, Atropo, quæ fato quodam vitæ nostræ spatia moderarentur, & quasi staminanerent, seu fila. Sed nequeo mihi persuadere, eò respexisse Davidem, vel Ezechiam, dum ille cecinit *m*: *Ipsi de manu tua repulsi sunt*, idest, veluti excisa vivendi stamina, spatiaque *n*: hic præcisa est velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer, succidit me. Recentiora fabularum censeo hæc figmenta esse, quàm monumenta scripturarum illarum.

o Act.1.7. p Heb.10.31

De *sortibus*, nos in citato historiæ Apostolicæ loco satis multa: Tam facilè esset comminisci refutari his verbis chiromantiam, hoc est, divinationem per lineamenta manuum, de qua nos item alibi. Sed simplex sententia est, in manu, manibusve potentiæ Dei, sortes, aut tempora esse, illo modo, quo Patrem Christus dixit *tempora*, vel *momenta* potuisse o. Bonæ, potentes, blandæ manus Dei, præsertim pro nobis mortui: *horrendum incidere in manus viventis* p, iis, quibus mortui merita non profuerunt.

q 4. de Adorat. in Spir. r Orat. in Basilium sin c.49. Gen t in Apolog. de Fuga sua. u c 2.19.20. 21. x c.24.1.

Verùm est, quod aliàs quoque vidimus, & hic Augustinus docet, *sortis* nomen *gratiam* innuere, quia in sorte non est electio, sed voluntas Dei nulla invenientis merita, quæ eligit quos vult. Cyrillus *q* Alexandrinus, Nazianzenus *r*, Procopius *s* de decreta cuique ac suo tempore percipienda ceu portione viventium terræ, locum etiam istum accipiunt. Athanasius *t* hinc efficit in persecutione fugiendum, quoniam ignari sumus temporis nobis à divina providentia constituti. Ad extremum, verè Daniel *u* edoctus de statu Regis, benedicens Deum cœli, cujus sapientia, & fortitudo, dixit, quòd ipse mutat *tempora*, *& ætates* καιροὺς καὶ χρόνους. In Paralipomenis per tempora עתיתת *hbithim*, καιρούς, quæ transierunt sub David, sive in Israel, sive in cunctis regnis terrarum, intelliguntur eventa, casus, sortes, quidquid accidit ætate Davidis, &c. Eadem vis verborum Job *x*: *Ab omnipotente non sunt abscondita tempora.*

y Joan.10.28

Eripe me de manibus inimicorum meorum.) Manibus manus opponit, argumentans, cum sortes, ac tempora, & res omnes suas in Dei manibus constituerit, non decere, ut Deus potestati manuum aliarum, & adversariorum, ipsum permittat: viderique possint hi divina consilia perturbare, & sortes diurnas pervertere valuisse. *Non rapiet*, ait Christus *y*, *oves meas quisquam de manu mea.*

Vers. 17.) Illustra faciem tuam super servum tuum: salvum me fac in misericordia tua.

Vers. 18.) Domine non confundar, quoniam invocavi te: Erubescant impii, & deducantur in infernum.

Vers. 19.) Muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur adversus justum iniquitatem, in superbia, & in abusione.

FAvorem poscit Dei, & reconciliationis indicem, benignum oculorum ejus conjectum, vultusq; hilarem conversionem, implorat salutem, ac liberationem ab

ini-

inimicis, non fretus meritis, sed ejus misericordia; tum etiam, ne frustratus expectatione, pudefiat ipse; idque quodammodo recidat in ignominiam Dei, si destituat ope invocantem: decere magis, ut initis impii conatibus confundantur, & prout commeriti sunt, detrudantur in infernum, ibique abdantur: præterea, ut conticescant, coerciti flagellis, mendaciorum, atque malorum consarcinatores, qui fastu, & contemptu abutentes, nihilque facientes, quos magnifacere debuerant, justos homines, verbis exagitant. Seipsum nominat justum, quod quidem attinet ad præsentem caussam, qui nec Saulem, nec Absalonem filium læserat, à quibus contemnebatur, atque vexabatur.

Quòd autem optare infernum videtur, qui mortuos deflevit, Saulem *a*, & Absalonem *b*, non tàm optat quàm vaticinatur: vel non de illis intelligit, sed de aliis, qui apud illos ipsum malignè, ac dolosè deferebant, eorumque in ipsum odia inflammabant, & alebant, qualis Achitophel *c*. qui pudorem non ferens frustrati consilii, laqueo suspensus *d* descendit in infernum. Applicat hoc ad Christum Augustinus, & alii.

[a 2. Reg. 1. b Infr. 18, 33 c Ibid. 17. d 2. Reg. 17.]

Illustra faciem tuam super servum tuum.) Hieron. *ostende*, sed vim verbi Hebræi meliùs exprimit *illustra* aut, ut est in Psalterio Romano, & Ambrosiano, *illumina*, & lucere fac האירה *hairah*, de qua phrasi satis dictum aliàs. Existimant vulgò Deum non respicere, nisi cum se, ac effectu ostendit se eorum curam gerere, quod quando nos erga aliquem facimus, hilariter facimus, & alienam veluti calamitatis caliginem dispellere censemur. *Ostende faciem tuam*, inquit alibi *e*, *& salvi erimus*. Ubi est etiam האר *haer*, & ἐπίφανον, &, *Faciem tuam illumina super servum* f, &, *illuminet vultum suum super nos* g, & h, *signatum est super nos lumen vultus tui*. Familiaris profanis quoque formula;

—— i *quod si Deus ore sereno*
Annuerit, felix Candide solus eris.

Inde vero apud Nostros *quærere misericordiam à facie Dei cœli* k, *deprecari faciem Domini Dei*, vel *orare* l, *quærere faciem ejus* m, id sibi quoque vult *splendens lucerna Dei super caput* nostrum, & quod ambulemus *ad lumen ejus in tenebris* n.

[e Ps. 79. 8. f Ps. 118. 135 g Ps. 66. 2 h Ps. 4. 7 i Mart. 2 epigram. in 24 k Dan. 2. 18 l 3 Reg. 13. 6 Zach. 8. 21. m 1 Par. 16. 11 Ps. 104. 4 n Rom. 8. 14]

Nonnulli hanc illustrationem sumunt, ut favoris divini præsentiam dicit seu Deum, ut præsens ad protegendum, & favendum sentitur, ac testimonium reddit spiritui nostro, quod ab eo diligamur, & simus filii ejus *o*, & facit quod habetur sequenti versu, ut excitatas ab aliis perturbationes contradictionesque linguarum perferamus.

[o Rom. 8. 14 Gal. 4. 6. 7]

Super servum tuum.) De Christo Ambrosius *p* accipiens hunc locum, multis præterea locis aliis demonstrat, Christum, ut est homo, esse servum Dei, ac dici: & servitutem carnis: dominatum autem (scilicet, absolutum) Divinitatis esse. Plura nos in Actibus Apostolicis *q* hac de re, & loquendi modo.

[p Epist. 8. ad Sabinam ex edit. Rom. q in c. 2. 18]

Salvum me fac in misericordia tua.) Et tamen versu secundo dixerat, *in justitia tua libera me*, ubi docui, alios misericordiam posuisse, & *justitiæ* nomen quandoque usurpari pro misericordia.

Non confundar, quoniam invocavi te. Lege eumdem versum secundum. Latinus interpres *confundendi* verbum, & nomen *confusionis* vix unquam in alia significatione reddit, quam pro pudore, ac erubescentia. Verbum Hebræum est בוש *bos*, Græcum αἰσχύνεσθαι. Quum quivis peccator invocet Deum, etiam ut immeret mala, rectè Augustinus tanta fiducia petentem non confundi, quia invocavit, notat invocasse sicut oportet: de peccatoribus perperàm invocantibus, benè asseri quod Dominum non invocaverunt *r*. Exempli caussa, dicit, avarum, qui invocat Deum, ut det ei lucrum, non ipsum Deum invocare, sed lucrum, & ministrum lucri facere illum, quia non potuit habere per servum, colonum, clientem, amicum, satellitem: atque ita viluisse ei Deum, quem gratis non invocat, & quo contentus non est, si absque lucro veniat.

[r Ps. 13. 5 Psal. 52. 6]

Erubescant impii.) Auctores perversi consilii, impiè, ut filius Absalon *s*, patris vitæ insidiaretur.

Deducantur in infernum.) Hieron. *Taceant in inferno*. Alii, *excidantur in sepulchro*, vel, *ibi sileant sive in fovea*, vel, *silentes efferantur ad sepulchrum*, vel, *in foveam conspiantur*, vel, *morte compescantur*, *ne amplius noceant*, vel, *taceant*, *sepulti apud Inferos*: vel, *perimantur in inferno*. Symmachus, & Aquila, Σιωπησάτωσαν εἰς ᾅδου. *Siliat in inferno*, Nomen ᾅδου alias monui, subterraneum locum, in quem descendant animæ, significare, non autem sepulchrum, qui locus est cadaverum: quamvis שאול *scheol*, habeat acceptionem utramque. Legerunt forsan LXX. pro ידמו *jiddemu* à דמה *damah* sive à דמם *damam* & דום *dom*, *excidit*, *siluit*, quod item valet sisti, immobilem, ac taciturnum esse: vel ידכו *jiddechu* à נדך *nadach*, quod est expellere: vel ירמו *jirmu* à רמה *ramach*, projecit.

[s 2. Reg. 13. & 14. & 15.]

Silere in inferno est, nullam habere defendendi se caussam, quin mitti, deduci, rapi peccator debeat in infernum: ut ei accidit, qui obmutuit, & ligatis manibus, pedibusque missus est *in tenebras exteriores* t. Qui etiam per mortem exciduntur de vita, & in infernum, aut sepulchrum deducuntur, his loquendi adimitur potestas. Hoc ipsum sequentibus verbis adhùc exprimitur per similem, ac synonymam, ut in Psalmis accidit sæpiùs, orationem. Chaldaicè, *obmutescant, & descendant in locum sepulchri*, עבית קבורתא *leveth keuurethta*: aut secundum editionem Nebiensis לשאול *lischol*, *ad infernum* u. Mortuos vocant *umbras silentes*, & *silentum consilium* x, & *silentium* funebre convivium senum, quo celebrato sese salutabant vale dicendo, quasi non ampliùs revisuri, aut collocuturi, vel convivium umbris, manibusque silentibus factum.

[t Mat. 22. 12. 13. u Virg. Æneid. 6. x Ibidem.]

Quod in Josue *y* legitur: *Sol contra Gabaon ne movearis*; Hebr. est דום *dum sileat*, σιγάτω, stet. In Historia Regum *z*: *Manete, donec veniamus ad vos* דומו *dommu*, *silete* στῆτε *state*: In Isaia *a*: *Tacete qui habitatis in insula* דמו *dommu*. Tandem mors, ac sepulchrum describuntur vocabulo *silentii*, & Hebræis דומה *dumah silentii* vox infernum denotat quoque, ut *b*: *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum*. דומה *dumah*. Sic aliqui *c* Isaiæ alia verba *d*: *Væ mihi, quia tacui*, explicant, Væ mihi, quia, idest, revera tacui, hoc est, perii נדמתי *niddamthi*, actum est de me, ablata mihi loquendi, ac proinde vivendi facultas: quia nempe Deum viderat: vigebat autem opinio qui vidissent, mortis vix evadere periculum *e*.

[y cap. 10. 12. z 1. Reg. 14. 9 a cap. 23. 2. Silentium pro morte. b Ps. 113. 17 c Forerius in Isa. cap. 6. d Isa 6. 5. e Gen. 32. 30 Exod. 33. 20. Jud. 13. 22.]

Muta fiant labia dolosa.) Hieron. *mendacii*, שקל *schakel*. Chaldaicè, *quæ loquuntur mendacium* דמללן שקרא *demalelanschikra*. Labia sunt eorum, qui quum se Davidis fingerent amicos, fictis criminibus accusabant apud Saulem, aut Absalonem. Muti, aut impeditioris linguæ reddebantur, qui Deum vidissent, vel quum eo collocuti essent, ut præter Isaiam, de quo dixi. Moses *f*: pater vero Joannis *g*, qui locutus erat quum Angelo, propter incredulitatem, loquendi usu privatus est *h*. Pœna tali dignus est, qui abutitur lingua contra proximum: & institutam ad benedicendum Deum *i*, & alios juvandos propter illum, convertit in vilem, atque perniciosum usum.

[f Exod 4. 10 g Luc. 1. 20. h Ibid. i Jac. 3. 9.]

Vim habet Hebræum תאלמנה *thealamnah*, *colligentur labia*. Unde vidua אלמנה *almanah*, quæ viro mortuo liberè loqui non valet. Appositè profectò Hieron. tractans *k* Oseæ locum: *Da eis Domine: quid dabis eis* l? *Da eis vulvam sine filiis, & ubera arentia*: Si his, ait, quæ Deus pro benedictione donavit, male abutamur, & in contrarium, quam ab eo data sunt convertantur; expedit ut auferantur à nobis. Denique lingua data est ad laudandum Dominum Deum, & quæ bona sunt eloquenda: si quis ea abutatur in blasphemiam, contra hunc Psalmista Dominum deprecatur: *Muta fiant labia dolosa*; & in alio loco *m*; *Disperdat Dominus universa labia dolosa, & linguam magniloquam*. Hùc facit præterea, quod *omnis iniquitas oppilabit os suum* n; *& obstruetur os loquentium iniqua* o, ut non amplius verbis nocere valeant, quamvis in inferno gemitus futuri sint *p*, & blasphemia *q*. Magni æstimanda linguæ vitia, quæ vates noster tam diro impetit omine, ac imprecatione.

[k in Oseæ 9 l cap. 9. 14. m Ps. 11. 4. n Ps. 106. 42 o Ps. 62. 12. p Sap. 5. 3. q Apoc. 16.]

Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem.) Seipsum nominat justum, utpote innocentem, ac liberum ab iis criminibus, quæ mendaciter, & vafre objiciebantur contra ipsum. Pro *iniquitatem*: Hieron. reddit *dura*. Hebræa vox in singulari עתק *hhathak* significat *durum*, grave, crassum, tumidum, molestum, vetustum, idest, in morem veteris fabellæ confictum, aut, ut vetus ada-

adagium ineptè ad maledicendum de aliquo translatum: & suppleri debet (verbum:) *quæ loquuntur verbum durum: iniquitatem* ἀνομίαν verterunt aliis locis. *Nolite loqui adversus Deum iniquitatem* a: *effabuntur, & loquentur iniquitatem* b. Hieron. præterea *opes superbas* exponit הון עתק *hon hhathek* c. Ergo labia intelligit loquentia contra justum dura, superbia, & quod scilicet ille durus, superbusque esset, imperiosus, ambitiosus, perduellis, &c. Anna Samuelis mater, quod antiquam parœmiam, steriles ingratas Deo esse, de ipsa usurpabant probrosius, cecinit postea *d*: *Recedant vetera*, עתק *hhattak*, μεγαλοῤῥημοσύνη, *magniloquentia, de ore vestro*, &c. Tale vulgare dictum quasi oraculum fortassis de Davide inimici frequentabant, invisos Deo, qui calamitatibus exercerentur, quod amici Job *e* de ipso etiam usurpabant. Observat hoc Arias, & bene. De Christo, & de Christianis crimina conficta sunt gravissima, & hoc tempore de Catholicis, & Religiosis Hæretici; & Catholici mali, etiam de Religiosis plurima confingunt.

[a Ps. 74. 6. b Ps. 93. 4. c Prov. 8. 18. Sterilis Deo ingratæ antiqua prœmia dictæ. d 1. Reg. 2. 3 e Job. 4. per totum cap.]

In abusione.) Hieron. *In despectione*. Codices Complutenses, & Regii, *In contemptu*, quæ postrema lectio est in Psalterio Romano, & apud Arnobium, Augustinum, Cassiodorum. Remigius etiam *abusionem* declarat per *contemptum*: & de utraque lectione meminit Haymo. *Contemptum*, & *despectionem* propriè denotat ἐξουδένωσις & בוז *buz*, videlicet cum fasto, insolentia, supercilio, & contemptim loquebantur contra justum. Igitur *abusio* sumi debet pro ea, quæ nascitur ex contemptu, quo pacto superbè loquens Achitophel contra David, contemnebat eum, sicque abutebantur nomine ipsius, nihili faciens ipsum, æstimans despicabilem, nullius pretii, perniciosum Reipublicæ, denique opprimens eum *f*.

Multos *abusionis* modos Hugo Cardinalis exponit, & extat in operibus Augustini *g*. Tractatus de duodecim Abusionum gradibus, & aliud Joannis Thauleri. Sed abutetur profectò sano judicio, qui hæc huc existimet pertinere, nisi secundùm pium quemdam accommodationis modum. *Abusum cum superbia*, vel *in superbiam* interdum lego *h*. Contemni ostendit Augustinus à superbis humilem Christum, humilisque Christi sectatores, & pauperes à divitibus; non erubescendum Christiano, cui Christus in fronte signum suum figi voluit, tamquam in sede pudoris ne illius opprobrio erubesceret. Non persuadeor, interpretem nostrum in dictione *abusionis* imitari voluisse Hebræum בוז *buz*, quod tamen innuit Genebrardus.

[f 2. Reg 14. & inde. g Tom. 9. Abusionum gradus duodecim. h Job. 24. 25. Esth 16. 2.]

Vers. 20.) Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te?
Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.

EXclamat præ admiratione sentiens jam exauditum se adversus tam atroces, ac maledicos inimicos, magnam, multiplicemque esse dulcissimam beneficentiam Dei, quam apud se condiderit, probis qui reverenter colunt eum, tametsi tunc exerceantur: ut suo tempore ipsum eis communicet: interim non obscurè, clamve exhibens sperantibus in ipsum, nonnullos effectus ejus in oculis mortalium, expectans idoneum tempus, quo in futura vita præcipuè copiosiùs & illustriùs infinita bona largiatur *i*, Futuræ vitæ bona nec in cor hominis ascenderunt: nonnumquam tamen in hac ærumnis plena dat Deus manna cœlestis consolationis absconditum, quod non novit, nisi qui accipit *k*. Contemnitur modo justus ab impio, & contumeliis, injuriisque appetitur: sed latet ceu in thesauris Dei magnum quoddam bene præparatum bonum, quo illum cohonestet, quum videbitur ei opportunum, tum hic tum maximè in futuro seculo.

[i Isa. 64. 4. 1. Cor. 2. 9. k Apoc. 2. 17.]

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ.) Hieronym. *Quàm multa est bonitas tua*. Alii, *Quam multum est bonum tuum*: *Quàm magna bonitas tua: quam multiplicata: quanta sunt bona, quam sunt copiosæ divitiæ tuæ*. Hebraicè מה רב טובך *mah rau tuueche*. Græcè ὡς πολὺ τὸ πλῆθος τῆς χρηστότητός σου. Symmachus & Aquila, ὡς πολὺ τὸ ἀγαθόν σου. *Quàm multa est bonitas tua*, non enim ὡς in editionem LXX. ut Theodoretus notat, comparationem significat, sed intensionem, & amplificationem. Hieron. alicubi *l* legit: *Quam grandis multitudo bonitatis tuæ*, item legit *m*: *Quam infinita multitudo bonitatis tuæ*. Ibi comparat locum istum cum illo, in quo Paulus *n* investigabiles divitias Christi nominat, hicque vult Psalmistam cum Christo loqui, qui absconditas ab æterno bonitatis divitias veniens revelaverit idem utriusque Testamenti Deus, quod quidam negaverunt Hæretici. De dulcedine quoque gratiæ ac felicitatis (omissis Rabbinis de generali quoque resurrectione interpretantibus *o*) cujus in hac vita perceptio quædam interdum est, Augustinus crebro *p* præsentem usurpat locum, Bernardus *q* de centuplo, quod ait esse gaudium ex adoptione in filios Dei. Sed *r* videtur *absconsionem* referre ad tempus usque Judicii, ante quod animæ justæ non percipiant perfectam dulcedinem, & plenam gloriam regni nondum in thronis, sed sub altari: quæ opinio nunc nulla ratione defendi potest, ut aliàs demonstratum est. Rursum Hieron. *s* refert, isto cum aliis nonnullis Scripturæ testimoniis, aliquos abusos, ut probarent, post cruciatus, atque tormenta futura refrigeraria, quæ nunc abscondenda sunt ab his, quibus timor utilis est, ut dum supplicia reformidant, peccare desistant. Ea Origenis *t* opinio fuit, quam refellit non semel Hieronymus *u*.

[l in cap. ult. Isaiæ m in c. 3. ep. ad Ephes. n Ephes. 3. 8. o Gal. l. 12. cap. 3. p Medit. c. 37. 29. de Civit. cap. 24. Soliloq. c. 22. q in Declam r Serm. 2. de Festo omnium Sanctorum. s In cap. ult. Abusus ex hoc loco petitus. t 2. Periarch & Hom. 9 in ver. locos Matth. quæ tamen Homilia non est illius. u ep. ad Avitum in c. 5. ad Ephes.]

Cavendum præterea, putes dulcedinem hanc tanto quam percipiunt nonnulli aliquando adhuc in vita mortali, posse deprehendi naturali experimento, ita ut planè constet de præsentia gratiæ, vel operum ipsius. Non est qui clarè discernat inter naturam, & gratiam, inter impulsum, ac instinctum divinum, & diabolicum. Quia tamen probabiles conjecturæ, signaque suppetunt ad rectè atque sine metu de divina in nobis gratia judicandum, credamus Davidi hoc experto, ac invitanti *x*, ut gustemus, & videamus *quoniam suavis est Dominus*: credamus Malachiæ *y* scribenti, ut convertamur, & videamus *quid sit inter justum, & impium, & inter servientem Deo, & inter non servientem ei*.

[x Ps. 33. 9 y Cap. 3. 18.]

Cyrillus * Jerosolym. qui magnitudinem istam dulcedinis ait in condonandis quantisvis & quibusvis peccatis consistere, confirmat his verbis peccatorum, ne peccatorum terreatur gravitate atque multitudine: non enim vinci posse adeo magnam multitudinem bonitatis divinæ, & miserationem ipsius. Existit hic unus, inter dulcedinis Dei effectus, omnes admittere, invitare, sæpius parcere: à periculis externis, & internis eruere: bonis cujuslibet generis ornare. *Dulcis Deus*, inquit Cassiod. *cum corrigit, parcit, æterna præmia promittit*:

[* Catech. 2.]

Quàm magna multitudo.) Hebraicè tantum est, *Quàm multa* מה רב *mah rau*. Nomina continuæ, ac discretæ quantitatis conjunguntur nonnumquam, ut *z*, *Laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus*, quamvis ibi *magnitudo* pro magnificentia ponatur: quæ Græcè dicitur μεγαλωσύνη, & ita redditur à Hieron. Hebraicè cum affixo גדלו *guddelo*.

[z Ps. 150. 1.]

Domine.) Græcè additum est, à Hieronymo omissum.

Quam abscondisti timentibus te.) Simplex sensus est, Deum reposuisse tamquam in arcanis thesauris, ac in tuto collocasse præsidia, & cetera beneficia his qui timent, coluntque ipsum. Sic in alio Psalmo dictum est *a* *de absconditis tuis adimpletus est venter eorum*, ita ut comprehendat timor omnem cultum Dei, & timorem etiam filialem: tametsi quidam *b* præsentem locum de timore, quem perfecta excludit charitas, intelligant, & hæc munera Deus conferat, velutique depromat non in altero tantum sæculo, ubi *c* vita nostra abscondita est cum Christo in Deo, verùm etiam, quum est opportunum, in isto. Hic Deus noster absconditus *d*, abscondit potissimam dulcedinem, hoc est, sui ipsius visionem, quod est manna absconditum, ut explicat Ricardus *e* Victorinus, Hugo Cardinalis *f*, Andreas Cæsariensis *g*: & subinde veluti ex digitis emicat lux, quam in manibus absconsam tenet: promissio nunc est, & gaudium in spe *h*, qua & salvamur *i*: perfectio, & consummatio in conspectu filiorum hominum, immo filiorum Dei, qui jam inierint hæreditatis possessionem. Gustant non-
nihil

[a Ps. 16. 14. b Hieron. in c. 15. Isaiæ. Didymus hoc loco. c Coloss. 3. 3. d Isa. 45. 15. e Apoc. 2. 17 f Ibidem. g Ibidem. h Job 36. 32. i Rom. 12. 12 K cap. 8. 24.]

nihil modo justi dulcedinem istam, sed non is qui pala- A tum de febre iniquitatis perdidit, ut ait Augustinus, hac ratione declarans, cur abscondita dicatur, quia soli timentes Deum ad illam perveniunt. Verè *thesaurus absconditus*, quem, & reperire sors est, & eruere labor. Deus ipse, ut dixi, *absconditus* a, *abscondita est fortitudo ejus* b; abscondit Deus Pater à *sapientibus, & prudentibus* mysteria c: regnum cœlorum, thesaurus absconditus d: in Christo e *absconditi thesauri sapientiæ, & scientiæ*: *abscondita* f *vita* nostra *quum Christo in Deo*: *absconditus est cordis homo* g: Sapientia in mysterio abscondita h: *Pater, qui videt in abscondito, reddet* i: absconditus Judæus, *cujus laus non ex hominibus, sed ex Deo est* k. Sic sunt cuncta bona Sanctorum abscondita, & omnis *gloria* eorum *ab intus* l, quem vulgò nominamus interiorem hominem. Præterea nomine, ac verbo Hebræo eodem mirabile dicitur aliquid & absconditum, vel difficile, vel mirificari, à themate פלא *pala*, sive פלה *palah*. Docuimus etiam supra in alio Psalmo, solere sanctos appellari *absconditos*, & tamen non est *qui se* m *abscondat à calore* bonitatis.

a *Isa.* 44. 15. b *Habac.* 3. 4. c *Mat.* 11. 25. d *cap.* 13. 44. e *Coloss.* 2. 3. f *Ibidem* 3. 3. g 1. *Pet.* 3. 2. h 1. *Cor.* 2. 7. i *Mat.* 6. 4. k *Rom.* 2. 29. l *Ps.* 44. 14. m *Ps.* 18. 7.

Absconsio divini mysterii scripturæ, consolationis spiritualis, felicitatis, ut observat Origenes n, facit ne res tanta veluti diripiatur, & pereat: invenitur a prudentibus, qui possunt ire; & vendere omnia quæ habent, & emere agrum illum, in quo talis thesaurus latet o. Reservatur in futurum plenus mellis gustus: arcetur nunc à sacrificio p, quia non est hoc tempus, aut locus plenæ, liquidæque percipiendæ voluptatis, ut notat Theodoretus q. Ideo forsitan Christus post resurrectionem gustare mel voluit r. Obiter, ac veluti in transitu, & quantum capere manus possunt, aquam cœlestem gustare conceditur; quia s proni sese immergunt, rejiciuntur à proba militia: olim t intrabimus in gaudium Domini, *voluptatisque torrente* potabimur u. Hæ tamen quales quales præsentis temporis D. voluptates, ejusmodi sunt aliquandò, ut eas capere humana non valens infirmitas, exclamet x, ut sese Deus contineat, easque subducat. Ex comparatione istarum argumentum ducit August. y quum admiratione, quantæ sint quibus Beati perfruuntur quum hic sit carcer, ibi C palatium: hæc dies lacrymarum, illa nuptiarum. *Secundum magnam multitudinem magnificentiæ tuæ*, inquit, *est etiam multitudo magna dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te*. De seipso autem fatetur Deo: *& aliquandò intromittis me in affectum multum inusitatum, ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me* (alludit ad locum istum) *nescio quid erit, scio quod vita ista non erit* z. Apostolus a hic in mediis tribulationibus repletum se consolatione dicebat, superabundare gaudio, & Psaltes noster secundum multitudinem dolorum consolationis Dei lætificasse animam suam. b Si tempore tribulatonis tanta est multitudo dulcedinis in corde militantis, quanta erit tempore gloriæ in corde triumphantis?

n *In c.* 2. *ad Romanos.* o *Mat.* 13. 34. p *Lev.* 2. 11. q *quæst.* 1. *in Leviticum.* r *Luc.* 24. 40. s *Jud. c.* 7. 5. 6. t *Mat.* 25. 21. 23. u *Ps* 35. 9. x *ut Ephrem & Xaverius noster.* y *Soliloquiorum c.* 21. & 22. z 10. *Confessionum c.* 40. a 2. *Cor.* 7. 4. b *Ps.* 93. 19.

Paulus c Burgensis Christum in Eucharistia absconditum Deum d nominans, dulcedinem quoque multam, ac magnam ex hac absconsione percipi probat: quoniam Philosopho e teste, admiratio est caussa delectationis, ita ut expressa imago rei non delectabilis pariat delectationem: in Sacramento autem illo memoriam conpen- D diumque mirabilium suorum fecit Deus f: & quilibet nostrum certus per fidem de tot mirabilibus, flagrat desiderio illa quandoque clarè cognoscendi, ex quo desiderio cum spe gaudium ingens resultat. Facit ad idem epithetum *manna* g *absconditi*, quo Eucharistiam designari multi volunt.

c 2. *Par. Scrutinii scripturarum Dist.* 3. *c.* 6. & 7. d *Isa.* 45. 15. e 1 *Rhetoricorum c.* 11. f *Ps.* 110. 5. g *Apoc.* 2. 17.

Origenes h in exponendo Pauli i verba; *Quod si Deus volens ostendere iram*, &c. obstupescere se scribit Sancti Spiritus consilium in divinis voluminibus, quod iram quidem Dei, quæ est a natura ejus extraneà, notam fieri hominibus dicant; bonitatem verò ejus, & dulcedinem, quod naturæ ejus est proprium; abscondi memorent, & occultari, sicut hoc loco. Respondet, caussam esse, quia scit Deus fragile esse hominum genus, & ad lapsum proclive per negligentiam, quibus expediat magis esse sub metu iræ, quam spe benignitatis Dei, & dulcedinis relaxari. Nihilominus Chrysost. k annotavit à Christo regnum cernendum oculis concessum in transfiguratione, gehennam verò minimè, quoniam rudioribus, ac ineptioribus id necessarium erat, pro- B bis, ac perspicacibus sufficiebat à melioribus confirmari; præterea quia hoc multo magis illum decebat: licèt atrocitatem gehennæ quasi ante oculos posuerit, quum de Lazaro, & Divite l disseruit.

h *in c.* 9. *ep. ad Romanos* i *Rom.* 9. 22. Cur ira Dei nota hominibus fieri dicatur: bonitas vero abscondi. k *Hom.* 62. *in Matth.* l *Luc.* 16. 19 & *seqq.*

Perfecisti eis, qui sperant in te in conspectu filiorum hominum.) Hieron. *Operatus es*, &c. quod proprie significat פעלת *pahhaltha*, & ἐξειργάσω: Psalterium Rom. *Perfecisti eam sperantibus in te*. Ambrosian. *Et perfecisti sperantibus in te*. August. *Perfecisti autem sperantibus in te*. Re, factoque implesti, & manifestam fecisti dulcedinis, ac providentiæ tuæ multitudinem, quam absconderas, & conservaveras apud decretum tuum: idque coram multis, ut discant quoniam eos protegis, eorumque curam geris, qui non dubitaverunt etiam palàm apertèque spem, quam habebant in te profiteri, nec erubuerunt de spe sua. Perfectionem istam de futuræ vitæ statu August. aliique intelligunt m Chald. *operatus es sperantibus in verbo tuo, ut reddas eis præmium bonum coram filiis hominum*.

m *Hic & ser.* 24. *de temp. c.* 3.

In conspectu Filiorum hominum.] Lege Psalmum B quartum n, qui dicatur *filii hominum*. In conspectu autem נגד *neghed* ἐναντίον non solùm significat ante, coramque, sed etiam, & quidem magis propriè, *è regione & ex opposito*, sic verò sensus erit; Quanto magis filii hominum dolores externos multiplicant, tanto magis Deum consolationes interiùs multiplicare. Lege Psalmum vigesimum secundum *.

n *v.* 3. * *vers.* 21.

Vers. 21.) Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum.

Proteges eos in tabernaculo tuo, à contradictione linguarum.

ADversus mala facta, & dicta inimicorum, paratum habes auxilium protectionis tuæ. Benignus C aspectus, ac favor tuus justos veluti absconditos apud te custodiet, ut nihil commoveantur eorum improbitate: multo autem magis extractos de vita mortali, tamquam in faciei tuæ clarè visæ umbraculo proteges ab omni malo: nec poterit linguarum nocere virus contradicentium, & maledicentium, sive in præsenti, sive in sequenti sæculo, propter tabernaculo similem protectionem tuam. Hic modus quo justi magnam multitudinem dulcedinis Dei percipiunt in tribulatione. Nam per contemplationem, & amorem ipsius rapti, reperiunt in ipso, juxta id quod anteà dictum est, protectionem, & refugii domum, atque in eo latitantes, nihil verentur quaslibet tribulationes, perinde, ac si non pertinerent ad eos. Dum Dei faciem ante mentis oculos semper habent, seseque à Deo videri attentissimè cogitant, & omnes nutus ejus diligentissimè observant, & pulchritudinem, bonitatem, ac attributa ejus cetera sedulò considerant, in amorem ipsius accenduntur, atque habitantes, & immorantes in illo ceu latibulo tutissimo, non pertimescunt conturbationem homi- D num, idest, quod conturbare homines solet, quod homines faciunt, ut alios conturbent. Illos Deus in tabernaculo suo, hoc est, in seipso, in quo, & ipse habitat, quum nullo alio capi loco queat, ab omni remotos flagello o tuetur, tum factorum, tum verborum præterea ne curent sermones hominum, cum talem pro se testem, ac judicem habeant. Quum pervenerint autem ad conspectum Dei clarè visi, & ib Jerusalem, quæ est visio pacis, cujusque fines pax sunt p, habitaverint, quàm tuti? quàm læti? in quanta q, *constantia adversus eos qui se angustiaverunt*, & insanos dictitarunt? Alludere videtur ad protectionem duplicis columnæ in deserto r, vel ad nubem, quæ confugientes Aaron, Mosemque in tabernaculum, orta seditione, operuit, & apparuit gloria Domini, quasi interposita propriæ personæ protegentis f.

o *Ps.* 90. 10. p *Ps* 147. 14. q *Sap.* 5. 1. r *Ex.* 13. 21. & *seq.* f *Num.* 16. 42.

Quod spectat ad Davidem, satis probabile duco, indicare suam illam evasionem, quum in spelunca Saulem persequentem videns, ab ipso minimè visus est t: ita ut quemadmodum ipse secundum se Deus videri u naturaliter non potest: sic in illo abscondito, & invisibili- tate

t 1. *Reg.* 24. 5. & *seq.* u 1. *Tim.* 1. 17. c. 6. 16. *Joa.* 4. 12. 20.

tate faciei suæ abscondat eos, quod reddit aliis invisibi- A les, ut liberet ab illis: quo pacto Deus Jeremiam, & Baruch abscondit a à rege Joachim, & b Christus seipsum Judæi. Hoc ipsum & nos jam notavimus Psalmo vigesimo sexto c.

a *Jer.* 36. 29. b *Joan.* 8. 59. *Luc.* 4. 30. c *vers.* 5.

Ista vero ratione *abscondi faciem Dei*, male semper sonat respectu scilicet eorum, quibus absconditur, subtrahendo illis lumen concursus sui ad cognoscendum, quamvis id facit in gratiam, atque beneficium aliorum. Quocirca juxta istum dicendi modum verba, illa, *abscondens eos*, &c. non de justis accipi deberent, sed de injustis, quia hi sunt, & non illi, quibus Deus subtrahit usum intelligendi, ne intelligendo noceant illis; & illi sunt *in abscondito faciei Dei*, hoc est in providentia Dei, qui reddit faciem absconditam improbis persecutoribus. Eodem redit communis sententia, quæ interpretatur de justis, quos *abscondere* intelligatur Deus *in abscondito faciei suæ*, eo modo, quo & *protegere in tabernaculo suo*. Etsi enim *abscondere faciem ab aliquo*, sumatur in malam partem, sicut è contrario in bonam, *illustrare*, & *illuminare super aliquem*: non tamen *abscondere in abscondito faciei* malum quid videtur sonare, maximè B conjungendo cum protectione. Præstat ergo *absconditum faciei Dei*, faciem Dei intelligere, quæ sit vice tegminis propter infinitam lucem, quæ perstringit aciem persequentium, propterque vim protectionis divinæ, contra quam niti summæ sit impudentiæ, & insaniç, ut si quis inimicum ad necem insectans, ad Regis pervenientem conspectum, præcipuè si Rex hoc illum pacto sibi defendendum susceperit, contingere, ac lædere non pertimescat. Idcircò petebat Job d *poni juxta Deum*, nihil sic verens quis pugnaret contra se.

Phrases scripturæ. d *c.* 17. 3.

Tangere pupillam e Deus suam dixit, qui tangant suos. Magna benevolentia Dei: atrox injuria, quæ committitur in justos. *Prodest parum abscondi in cœlo, paradiso, sinu Abrahæ*: *Deus ipse locus noster sit, domusque refugii*, ait August. *Sed esto*, subdit, *domus Dei, & erit domus tua habitans in te, & tu habitabis in eo: si eum exceperis in hoc sæculo in corde tuo, ille post hoc hoc sæculum excipiet te vultu suo*.

e *Zach.* 2. 8.

Abscondens eos in abscondito faciei tuæ.] Hieron. *in protectione vultus tui*. Psalterium Roman. & Ambros. *in addito vultus tui*. Augustin. *in abscondito vultus tui*. Chald. *in occulto, in tempore iræ tuæ*. -רא בעידן רגזך כטום *Betumera behhiddan rugzach*. *Faciem* pro ira sumi constat. Et sensus esset, justos protegi, quando irascitur Deus, tùm hìc, tum præcipuè in die, quæ κατ' ἐξοχὴν *dies iræ* cognominatur, nempè in die judicii. Significat præaereà *facies* gratiam, sive favorem, atque notitiam Dei. Sic *abscondi in abscondito faciei* est in intima gratia, & notitia seu providentia. Tandem *facies* denotat ipsam personam, πρόσωπον, majestatem, excellentiam, celsitudinem, reverentiam: quo item pacto exponendum erit, quod suæ Majestatis splendore, ac auctoritate tuebitur, atque defendet Deus, tamquam interiore cubiculo, adyto, conclavi, suamet præsentia, & oculorum intuitu proximo velut intrà intimam habitationem, *extra mortalem tumultum*, ut enarrat Apollinarius, ἐκτὸς ἀνδρομέης ταραχῆς, è regione faciei suæ, quæ impiis abscondita est. Allatus in nostra paraphrasi sensus bonus est. Sed *absconsionem* censeo referendam ad justos, non ad persecutores: quod Agellius tamen contendit, & Campensis indicat. Rationem ibidem posui.

Facies pro ira.

A conturbatione hominum) Hieron. *A duritia viri*. Alii, *Abelationibus, arrogantiis, superbiis viri*, sive, *à quovis elato, arrogante, superbo, feroci, ac potente viro*. Vel, *A congregationibus viri*, hoc est, à coitionibus quas facit contra me. Chaldaicè, *A viris exercitus* מגברי גדוד *magganre ghedud*: Hebr. autem מרכסו איש *meruſche isch*. Apud Isaiam f *aspera* quæ futura prædicuntur *in vias planas*, Hebraicè vocantur רכסים *rechasim*. *Conturbatio* activè accipitur pro ea, qua alios alii conturbant, tropologicè pro ea etiam, qua in judicio impii g, *turbantur timore horribili*. Similis in sexagesimo tertio Psalmo locus h: *Protexisti me à conventu malignantium*, à multitudine operantium *iniquitatem* ubi pro *multi-*

f *c.* 40. 4. *Luc.* 3. 5. Tropologia g *Sap.* 5. 2. h *vers.* 3.

titudine Hæbræorum nomen in regimine est רגשת *rigschath* affine huic nostro רכסי *rische*.

Proteges eos in tabernaculo tuo.) Hieron. *in umbra*: Symmach. ἐν σκηνῇ, *in tegmine*, Pronomen *tuo*, nec est, Hebraicè, nec Græcè, nec in Latinis quibusdam codicibus, quos Jansenius correctiores existimat. Videri potest Synonymum *in tabernaculo suo* Deum protegere, & abscondere *in abscondito faciei suæ*, quia qui accedebant ad tabernaculum, in conspectum Dei venire dicebantur. Cajetanus minus hoc putat, quam illud: quanta est differentia inter esse in umbraculo, & coram facie Dei. Ecclesiam *tabernaculi* nomine August. aliique quidam cœlum intelligunt. Sed satis anteà dictum de tabernaculo: & in Psalmo vigesimo sexto i *mentio* fit de *absconsione in tabernaculo*, & de *protectione in abscondito tabernaculi Dei*.

i *vers.* 5.

A contradictione linguarum.) Alii, *A contentione, rixa, lite, dissidio, jurgio*, &c. quod ריב *riu* significat, & *supra* K indicatum est illis verbis: *Audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu*. Lis, zelus, contentio carnalium est, secundumque hominem ambulan- B tium l. Eamdem vocem Hebr. ריב *riu* Ps. m XVII. ἀντιλογίαν, & contradictionem redditam vidimus: eodemque modo redditur Ps. LIV. n & populus versus in seditionem adversum Moysen, & Aaron, Hebraico verbo o dicitur *jurgatus* ריב *iareu*.

K *vers.* 14. l 1. *Cor.* 3. 4. m *vers.* 10. n *vers.* 10. o *Num.* 20. 3.

Solatio sit nobis recogitare, eum p, *qui talem sustinuit à peccatoribus adversum semetipsum contradictionem* (ἀντιλογίαν) *ut ne fatigemur animis nostris deficientes*. Nam *calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius* q: quem locum in Commentariis explicavimus. *Signum* r fuit Christus, *cui contradiceretur* sub signo isto militans paratus sic oportet ad conditiones, quia huic sectæ *ubique contradicitur* s: vel certus esse debet, omnium improborum linguarum sagittas ad hunc tamquam scopum collimandas. Habendum Catholico præ oculis quod hìc dat August. monitum: *Contradicunt linguæ multæ, diversæ hæreses, diversa schismata personant. Linguæ multæ contradicunt veraci doctrinæ. Tu curre ad tabernaculum Dei: Ecclesiam Ca-* C *tholicam tene, à regula veritatis noli discedere, & protegeris in tabernaculo à contradictione linguarum*.

p *Heb.* 12. 3. q *Eccl.* 7. 8. r *Luc.* 2. 34. s *Act.* 28. 22. Augustini monitum.

Vers. 22.) Benedictus Dominus, quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.

APplicat ad seipsum, quæ generatim dixerat de consolatione, quam justis Deus in tribulatione communicat, hocpue nomen gratias agit Deo, qui miro quodam modo misericordiam ostenderit erga ipsum, custodiendo, protegendo, abscondendo illo tabernaculo, & *abscondito faciei suæ*, quam aliter nominat *civitatem munitam*, quod loco fuerit civitatis, arcisve munitissimæ: vel ereptum ab omnibus malis D constituerit in civitate Jerusalem munitissima, quamque Absalon, & alii hostes adhùc magis munierant contra illum præsidiis ubique impositis: ornaverit verò prætereà ingenii gloria, felicitate, copia rerum omnium. Id mysticè de cœlesti Hierusalem Beatorum civitate intelligi potest, ut etiam de Ecclesia. Ad illam nihil penetrat mali: in ista suppetit, unde advenientia repellantur mala, ne noceant.

Alium litteralem sensum assignat Angellius post Cajetanum, Bredembachium, Eugubinum, (qui citat Rab. Salomonem) & post Lyranum, loqui Davidem de civitate Ceilana fortissima, portis, ac seris munita, ex qua oraculo divino admonitus evasit quum cives Sauli tradituri eum essent t. Addi tertius potest, sic mirabiliter liberatum Davidem ab obsidentibus inimicis, ac si illi magnæ urbis instar maximo numero obsedissent. Quartò, Arias hoc refert ad id tempus, quo David omni prorsùs Israelitica regione extorris, in Siceleg apud Palæstinos continebatur u: horum quoque primoribus & Satrapis suspectus: allato autem nuntio de nece Saulis x, & consulto Deo, ascendit in domum Juda, & in civitatem Hebron y percelebrem, atque fortissimam z. Quintò, Trevetus explicat de impetrata venia pro se, proque

t 1. *Reg.* 23. u 1. *Reg.* 30. x 2. *Reg.* 1. & 4. y *ibid. c.* 2. z *Jos.* 14. 14. & *seq.*

proque populo, quem pestilentia cædebat Angelus in Jerusalem *a*, quam David muro cinxerat, atque munierat. [a 2.Reg.24.] Ultimi duo sensus minus mihi probantur, maximè omninò ultimus, ex reliquis integer conflari potest: primum autem Græci tradunt, & ex Hebræis non nulli, favetque interpretatio Symmachi, de qua paullo post: sequuntur item plerique recentiorum.

Mirificavit.) Hieron. *Mirabilem fecit*. De hoc verbo alibi *b*. [b Ps.4.4. Ps.15.3. Ps.16.7.] Pro ἐθαυμάστωσε Symmachus particulariter exponit ἐπαραδόξασε, *qui mirabilem fecit; ac ut paradoxum quid*.

In civitate munita.) Ita quoque Hieronymus. Alii, *munitionis*, aut *fortitudinis* כעיר מצור *bahhir matsor* ἐν πόλει περιοχῆς. Symmachus, ὡς ἐν πόλει περιπεφραγμένῃ *tamquam in civitate circummunita*. Augustinus, *In civitate circumstantiæ*: *circumstantiam* intelligit ambitum, quem significat περιοχή, & hæc, ut Græci declarant, mœnia, & valla, aggeresque, quibus civitas ambitur, circundatur, munitur. *Circumstantia* potiùs diceretur Græcè περίστασις. Vocem περιοχῆς, ut idem valet, quod περίβολος, φυλακή, πολιορκία legimus alibi usurpatam in Sacris litteris *c*, ubi Hebraicè est מצודה *metsudah*, & מצור *matsor*. [c 1.Reg.22.4. l.4.24.20.] [Mystica expositio.] August. mysticè *civitatem circumstantiæ* omnium gentium intelligit Ecclesiam, quarum veluti in medio (ut ita dicam) circumferentiæ, Judæa, & Jerusalem est, ubi *operatus est* Christus *salutem tamquam in medio terræ* d. [d Ps.73.19.]

Meminit Thomas alterius lectionis, *in civitate obsessa*, & id quidem etiam Hebræa vox potest, illeque sensus unus ex allatis de Davide obsesso. Ecclesiæ civitatem *supra montem positam* e, obsident multi, sed *portæ inferi non prævalebunt adversus eam* f, quia summum illius præsidem dedit Deus *in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum* g, *ita ut bellantes adversus eam non prævaleant*. *Quis deducet me in civitatem munitam* h? *Ipsa murus est, & ubera ejus turris* i. [e Mat.5.14. f infra 16.28. g Ier.1.18.9 h Ps 59.11. i Cant.8.10.]

Vers. 23.) Ego autem dixi in excessu mentis meæ: Projectus sum à facie oculorum tuorum.

Ideo exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.

HOc exaggeret magis divinam erga se benevolentiam, atque beneficentiam supra non modo aliorum, sed suammet opinione; quod quum reddactæ res ejus ad extremum essent, ipseque quodammodo in summa trepidatione desperare, ut primum se collegit, ac spe assurrexit in Deum, opem illius implorando, illico sensit exauditum se, atque mirabili prorsus ratione adjutum. Qua in re simul tacitè accusat nonnullam illius temporis diffidentiam suam, quam aliquo modo innuunt verba illa *k*: [k 2 Reg.15.25.26.] *Si invenero gratiam in conspectu ejus, reducet me*, &c. *Si autem dixerit mihi: Non places; præsto sum, faciat mihi quod bonum est coram se*. Hæc tunc dixit, quando fugit filium. Sed, & quum Saulem fugeret, ac in deserto Maon esset obsessus à Saule *l*, [l 1.Reg.c.23.25 & seq.] vel intra Ceilam, quando metu percelleretur, judicatu facile est. Porrò David, ait Scriptura *m*. [m Ibid.26.] *desperabat se posse evadere à facie Saul*, ubi est verbum נחפז *nechpaz*, ex quo deducitur nomen; pro quo hìc legimus *excessum*, quod posteà expendetur. Hoc multo meliùs, quam quod Græci exponunt per *excessum*, vel *exstasim*, intelligentes lapsum in peccatum adulterii, & homicidii *n*, [n 2.Reg 11.4.17.] propter quem etiam post pœnitentiam existimaret se projectum à præsentia, & conspectu protectionis Dei, videlicet magis peculiaris.

In excessu mentis meæ.) Hieron. *in stupore meo*. Alii, *in festinatione*, vel *præcipitatione*. Psalterium Roman. & Ambrosianum: *In pavore meo*. Augustinus retinens vocem Græcam, *in exstasi mea*. Aquila, ἐν θαμβήσει μου *in trepidatione mea*. Symmachus, ἐν τῇ ἐκπλήξει μου *in percussione mea*. Apollinarius, θαμβήσας ἔφασκον, *obstupescens dixi*. Idem Hieronymus *o*, approbans hanc versionem nostram, testatur in Latinis codicibus lectum, *in pavore meo*, (sic legit etiam Gregorius *p*, quamvis negat *q* ita propriè vocari extasin, & alibi *r* legat, [o Epist.135. p 18.Mor.c.20. vel 26. q l.23 c.13. vel 21. r Hom.5. in Ezech.] *in exstasi mea*. Legit item Cassiodorus, *in pavore meo*: neque aliter Latino sermone exprimi posse ἔκστασιν, nisi per mentis excessum: Hebræa verò interpretatur, *in stupore, & admiratione mea*. Alii, *in anxietate*, aut *desperatione*. Omninò similis in Psalmo cxv. *f* locus: [f vers.3.] *Ego dixi in excessu meo*: ubi sunt eadem vocabula Hebræa בחפזי *bechophazi*, & Græca ἐν τῇ ἐκστάσει μου. Eodem lectio Augustini, *in estasi mea*; Aquilæ, ἐν τῷ θαμβῆσθαί με, *in pavore me*. Symmachus, *ego dixi*, ἀδημονῶν, *anxius, ac mœrens*. Apollinari, θαμβήσας *stupens*: Psalterii Romani, & Ambrosiani, & Cassiodori, *in excessu mentis meæ*.

Itaque *exstasis* pro mentis contemplantis res divinas abstractione à sensibus, neutro in loco pertinet ad sensum litteralem: quamvis mysticus à Patribus præsertim traditus, ut à Gregorio *t*, & Augustino *u* reverenter sit recipiendus. [t Supra: u in Ps.37. & in expositione tituli Psalmi hujus 39.] Hoc loco Augustinus, *exastin*, *pavorem* interpretatur, & opportunè monet, ut recordemur titulum; qui scilicet est, *pro exstasi*. David festinè fugiens, timore ingenti correptus, ac penè obstupescens, ista dixit, nec non ex quadam veluti præcipitatione mentis minus deliberatæ per modum primi motus, atque festinæ passionis, ut Cajetanus loquitur. Id oppositum est attentæ cogitationi in modum exstasis, dum expenderet calamitatum suarum molem, ut exponit Genebrardus.

Retinendo, ut debemus, *mentis excessum*, arbitror tamen denotare vehementem, ac profundam gravium malorum, quibus premebatur, cognitionem, & æstimationem, ita ut redundante in voluntatem, & appetitum horrore, animus ipse ab alienari videretur, & anima Davidem delinquere. Thema Hebræi verbi quod est חפז *chaphaz*, significat *festinare*, ac moveri cum pavore, subducere se metu periculi, pavere, obstupescere. Comestio agnifieri debuit festinanter *x*, [x Exod.12.11.] בחפזון *bechippazon*, μετὰ σπουδῆς *cum studio*; Aquila, ἐν θάμβῳ, *in trepidatione*: Symmachus, ἐν ἐπείξει, *urgendo*: cujus rei ratio redditur, quoniam in pavore egressus erat populus de Ægypto *y* [y Deut.16.3] בחפזון *bechipazon*, ἐν σπουδῇ. Suidas docet ἔκστασιν nonnumquam idem esse quod θάμβος, & ξαμβασμός. Verùm de hoc vocabulo Græco memini plura dixisse in Commentario historiæ Apostolicæ *z*. [z Act.10.10]

Projectus sum à facie oculorum tuorum.) Alia Psalteria, *à vultu*. Hieron. *à conspectu*: Alii, *excisus*, aut *rejectus sum*. Oculi in vultu sunt, non ipse, faciesve in oculis: sed *à facie* idem est, quod à conspectu, ut, *A facie peccatorum meorum* a, [a Ps.37.4.] מנגד *minneghed*: Quid sibi velit David planum est ex dictis. August. Gregoriusque anteà citati mysticè accipiunt de contemplante æterna gaudia visionis divinæ, ac propterea ingemiscente miserabilem hunc, & ærumnosum statum, in quem genus humanum per peccatum decidit; & à qua tàm longè abest: quod in Meditationibus *b* etiam deplorat idem August. [b c.39.]

Oculi nimia luce percussi, sese intro recipiunt, & ab intuendo revocant: ipsamet Seraphim alis quaternis obvelant sese *c*, ut notat etiam Dionysius *d*. Elias coram Domino vultum operuit pallio *e*: Moses viso rubo ardenti, & imcombusto, vocatus à Domino, abscondit faciem suam *f*, non ausus aspicere contra Dominum: Petrus jussit à se exire Dominum *g*: Centurio indignum se duxit hospitio Christi *h*: hæmorroissa clam vix attigit fimbriam *i*: Magdalena retrò stabat ad Christi pedes *k*. Joannes Baptista dixit *non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus*: Davidarcam noluit ad ædes proprias divertere *l*. [c Isa.6.2. d Eccl.Hier. c.4. Par.3. e 3.Reg.19.13. f Exod.3.6. g Luc.5.2. h Mat.8.8. i c.9.20. k Luc.c.7.38. l 2.Reg.6.10.] Hoc est, verendo Majestatem illam infinitam in ipso etiam excessu mentis projectum se veluti æstimare, longèque dissitum ab illa. Qui præcelsum eminus videt montem, parvum; qui comminus, maximum, ut revera est, judicat. Projici à facie Dei, malum: quod ne fiat, rogat David alio Psalmo *m*. [m Ps.50.13] Sed Justus in exstasi deprehendens magnitudinem spiritualis perfectionis, timet, ne sua culpa projectus sit.

Juxa sensum litteralem Jonas *n* [n c.2.5.] iisdem penè verbis questus est: *Et ego dixi; Abjectus sum à conspectu oculorum tuorum; veruntamen rursus videbo templum sanctum tuum*. Ibi est נגרשתי *nigraschi*, hic verò נגרזתי *nigrazthi*. Sic sanè *projectio à facie*, & à conspectu oculorum Dei, censeri potest exilium, atque migratio ab ea regione, ubi Deus religiosè coleretur, idque præser-

tim

tim, ac peculiariter in tabernaculo, vel templo, & quem locum Deus oculis suis proprio quodam modo magis intueri censeretur. David quidem certè lamentabatur apud Saulem eiici se ab impiis, ut non habitaret in hæreditate Domini; quum dicerent, *vade servi diis alienis* a, [a 1.Reg.26.19.] Arias hùc restringit sententiam, & post eum Agellius. Ego latiùs extendo ad faventes, providos, benevolos, beneficosque oculos Dei. Secundùm eamdem formulam jam dictum est Psalmo quinto *b*, quod non *habitabit juxta Deum malignus, neque permanebunt injusti ante oculos ejus*: & in centesimo *c*, David negat, quod *habitabit in medio domus suæ qui facit superbiam*, atque quod *qui d loquitur iniqua, non dixerit in conspectu oculorum suorum*. [b vers.6. c vers.7. d Ibid. e quæst.54.] [Proiici ab oculis quid sit.] Postremò notat Augustinus *e proiici ab oculis*, non indicare illum, qui proiicitur, priùs portatum esse, sed in quotidiano loquendi usu esse, ut proiici sic dicatur quis, quum vetatur cum illo manere, aut ab eo videri: eodemque sensu intelligendum, quod Agar *projecerit puerum suum* f, [f Gen.21.15.] qui erat annorum ampliùs quindecim, nempè non à se portante, sed ab animo, tamquàm moriturum.

Tranferri adhùc potest ad Christum, qui se etiam in cruce derelictum clamabat *g*, ad vexatum calamitatibus, qui subdubitat aliquandò de amore, ac providentia Deo. Basilius *h* [g Ps.21.2. Mat.27.46. h Epist.71.] deplorans diras Hæreticorum, calidasque persecutiones, inter alia scribit hoc modo; *Accessit autem ad hasce animi mei disceptationes, & ista cogitatio; An Ecclesias suas prorsus reliquit Dominus? an novissima hora est*, &c.

Ideò exaudisti, &c.) Hieron. *ergone audisti* &c. alii, *verùm exaudisti*, vel, *At verò*, *At certè* utique tamen, quomodo, atqui, nempè, scilicet, verè vox אכן *achen* hæc omnia valet: quamvis Rabbi David Kimhi videatur negare primam notionem, quam tradit Hieron. ut proindè sit, ac si essent duæ dictionis אם כן *imchen*, *si sic*. Caulaliter sumendo, non est sensus: *Ideò exaudisti, quia dixi, Projectus sum à facie oculorum tuorum*, sed *dum clamarem* &c. nimirùm sic erigens in te spem meam.

Vocem orationis meæ.) Pro *orationis meæ*, est numeri pluralis nomen Hæbræum cum paragogico pronomine תחנוני *thachanunai*, significans supplices preces ejus, qui gravioris arumnæ sensu, affectuque premitur. *Quum obsecrationibus loquitur pauper* i [i Pr.18.23.] תחנונים ידבר רש *tachanunim jedabber ras*, *Obsecrationes loquetur pauper* ἱκεσίας, quasi dicas, *indulgentias*. Alibi reddit Interpres per vocem *ululatus*, sed Græcè δεήσεως. Vox *k* [k Jer.3.22.] in viis audita est *ploratus*, & *ululatus*. Egimus etiam quodam loco ante de eodem vocabulo.

Dum clamorem ad te.) Et hoc verbum Hebr. בשועי *beschauuehhi* vim habet, significans clamorem gemitumque miserabilem, aut ejulatum.

Vers. 24.) Diligite Dominum omnes sancti ejus: quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam.

Vers. 25.) Viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes qui speratis in Domino.

LÆtus ob acceptum auxilium, vel jam certa spe præceptum, pios hortatur, qui similia patiuntur, ne cessent diligere Dominum, in eoque sperare: quamvis enim videantur impii nunc ad tempus liberè, ac impunè grassari, daturos brevi gravissimas pœnas, quia Dominus amat justitiam, ideòque diligenter observat, ut iis qui eamdem custodiunt, benefaciat, eos, qui superbè agunt, nec superbiæ finem faciunt, qua contra innocentes efferuntur, meritis tempore suo suppliciis afficiat: quare non debere sperantes in Domino pusillo animo esse, sed virili, ac forti, quando tentationibus vexantur.

Diligite Dominum omnes Sancti ejus.) Sic in Psalmo vigesimò nono *l*: *Psallite Domino sancti ejus*: in Psalmo trigesimo tertio *: *Timete Dominum omnes sancti ejus*: [l vers.5. * vers.30.] Sed in trigesimo tertio קדושיו *Kedoschau*, & οἱ ἅγιοι: in vigesimo nono, & hìc חסידיו *chasidau*, & οἱ ὅσιοι timor autem quandoque comprehendit amorem, vel quum non excludit. Sunt peculiariter חסידים *chesidim*, ut alias vidimus *m* pii, & misericordes, qui misericordiam exerceant propter Deum, quive misericordiam *Dei* sint experti: sed & quotquot religiosè colentes Deum: [m Ps.4.4.] qui cum addito *ejus*, designant eus, qui serio, re ipsa, factis, non solo nomine de professionis titulo tales sunt. *Cognovit Dominus qui sunt ejus* n. [n 2.Tim.2.10. n.16.5.] Si timor quum imperfectione spectatur, inde inchoatur, ut ad amorem perveniatur, qui perseverat in beatitudine timore excluso; & ibidem perpetuò psallitur, Deum laudando: sententia porrò pronuntiabitur læta de illis, qui eo modo sancti fuerint, qui misericordiam in alios exercuerint. Omnes quoque provocantur, quia communicatio divina bonitatis amplissima est, *nec* o, *est*, *qui se abscondat à calore ejus*. [o Ps.18.7.] Quicumque sanctu est, dilegere Deum potest, quia principium habet in se efficiens, permanens, habitum scilicet charitatis, sive distinguatur ab habitu gratia, ve non; tamen non quisquis diligit dilectione etiam vera, & supernaturali, sanctus est: vel quia sanctitas formaliter est ab habitu gratiæ diverso ab habitu charitatis, & antequàm intelligatur quis in justificatione consecutus habitum gratiæ sanctificantis, potest reverà concipi producere actum dilectionis tamquàm ultimam, dispositionem ejusdem justificationis: vel quia, quod mihi planè persuadeo, idem hìc actus producitur efficienter cum solo auxilio gratiæ, & non per habitum charitatis, qui habitus infunditur posita jam dispositione dicti actus: ac propterea licèt eodem instanti temporis adsit, in posteriore tamen instanti naturæ advenit, & idcircò non potest intelligi esse caussa efficiens suæ dispositionis, & esse caussa suæ caussæ in eodem genere caussæ productivæ. Tametsi difficultatem in contrarium facit, quod idem actus dicatur meritorius vitæ æternæ, ut proindè videatur ab habitu ipso ita pendere, ut producatur ab ipso. At sufficit ut concipiatur, dignitatem supponere in subjecto grato, & habitum habente. Sed hæc subtiliora reiiciantur ad scolas.

Benè Augustinus exaggerat diligi Dominum non posse ab eo, qui diligat mundum, pompas seculi, vanitates, insanias, mendaces: qui non discat non diligere, ut discat diligere, qui non avertatur, ut convertatur: qui non fundat, ut impleatur. *Adulteri* p, [p c.4.4.] ait Jacobus, *nescitis quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? quicumque ergo voluerit amicus esse in seculi hujus, inimicus Dei constituitur*. Ex Joannes *q*: [q 1.Joa.2.15.] *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patri in eo*. Hæc ultima sententia à Pio Concionatore Eremitarum Augustini tractata, Nicolaum Tolentinatum ad idem vitæ institutum pertranxit.

Quoniam veritatem requiret Dominus.) Hieron. *Fideles servat Dominus*. Alii, *Fideles custodit*: quod etiam omissa particula, *quoniam*, quæ nihilominus rectè addita est, reddit Hebr. אמונים *emunim*, & Chaldaicè מהימניא *mehemenaiia*. Grecè ὅτι ἀληθείας ἐκζητεῖ Κύριος, *veritates*, in plurali nomine, & Latina Biblia Regia Complutensia, ac Regia habent *veritates*. Apollinarius retinet singularem numerum.

Οὕνεκ' ἀληθείης βασιλεὺς ἐμπάζεται αἰεί.
Quoniam veritatem rex curat semper.

Videntur idem Basilius, ac Theodoretus usi eodem singulari. Sed Didymus vim facit in multitudine, ut licet sit una veritas, quæ de se dicit *r*: [r Joa.14.6.] *Ego sum veritas*, multæ sint tamen illis, qui hujus unius participes sunt. Euthymius, atque Nicephorus veras, atque ex corde dilectiones per *veritates* intelligunt. [Angellius notatus.] Retinenda lectio nostra, quam Agellius minùs correctam non dixisset, si sua post correctos auctoritate Pontificia Bibliorum codices recognovisset, & ad eorum præscriptum correxisset. Patrum autem refert utro numero legamus, ac æque bene *veritatem* pro veraci, fideli, & qui se totum Deo, cui credit, credat, comittatque, possumus accipere, ac *veritates* pro talibus hominibus.

Malim simpliciore sensu *veritatem* interpretari, vel sincerum virtutis, præsertim charitatis, opus, vel veritatem caussæ inter vexatum innocentem, & vexatorem superbum, de quo mox mentio fit. In solo Psalmo un-

decimo

decimo *a*, quod equidem sciam, *veritatem* numero multitudinis nomen reperietur: *Diminutæ sunt veritates à filiis hominum*. Ubi Hieron. quoque versio habet: *Imminuti sunt fideles*. Lege commentarium nostrum.

Profectò verbum *requirendi* quod nihil refert, in præsenti ne, an in futuro legas, magis indicat investigationem, atque dijudicationem veritatis, & causæ, sive controversiæ inter plures. Nisi velis *requirere* per Metalepsin esse amplecti, & numerari, ita ut *requirere* intelligatur *veritatem Dominus* in eo, in quo est, ut approbet, præmioque afficiat. Id ex antithesi sequenti confirmari potest de retributione facienda superbis. Alioqui utrumq; verbum ἀδιάφορον est ad bona, malaque. Nam *requiri* dicitur *sanguis* idest, cædes ab alio, quo facta, vel mors, ac interitus alicujus culpa secutus *b*.

a v. 1. b Gen. 9. 5. Ezech. 3. 18. & c. 33. 6. 8. & alibi.

Retribuet.) Hujus etiam verbi exempla sunt in utroque genere tùm bona, tùm mala. Ad secundum genus, quia de priore magis constat, præsens pertinet locus. Et in Psalmo CII. *c*. *Neque secundùm iniquitates nostras retribuet nobis*; & in CXXXVI. *d*: *Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis*, & in septimo *e*: *Si reddidi retribuentibus mihi mala*; cujus loci Commentarium lege.

c vers. 10. d vers. 8. e vers. 5.

Abundanter facientibus superbiam.) Hieron. *His qui satis operantur superbiam*. Alii, *propter superbiam*, vel *pro superbia*, *facienti superbè*, idest, prout quisque superbè se gerit in hac vita, sic retribuit illi Dominus. Psalterium Romanum, & Ambrosianum, & Augustin. Arnobius, Cassiodorus: *Retribuet his, qui abundanter faciunt superbiam*. Hoc ultimo modo, & secundùm Hieronymi versionem, *abundanter* jungitur cum *facientibus superbiam*, quod etiam exigit interpretatio Græca, Ἀνταποδώσει τοῖς περισσῶς ποιοῦσιν ὑπερηφανίαν, Hebr. משלם על יתר עשה גאות *meschallem hhal iether hhoseh gaavah*, ubi על יתר *hhal iether* potest significare *super excessum*, sive *abundanter*, & necti cum משלם *meschallem*, *retribuens*, tùm cum עשה *hhoseh*, *facienti*; vel *pro superbia*, & *propter superbiam*, verum esse, videlicet sermonem esse de iis, qui in superbia nimii sunt, & quorum *superbia*, & *arrogantia*, & *indignatio plusquam fortitudo* eorum est, ut hoc etiam loco *f* Thomas notat. Et quidem qui lacessiti referunt injuriam, & superbiam (quæ pro injuria sumitur) in ea veluti mensura, in qua acceperunt, videntur nonnulla venia digni, maximè juxta talionem in vetere permissam lege *g*: at ultrò injuriam inferre, & in referendo modum transilire, nimis magnæ superbiæ est, quæ meritò provocet vindictam Dei.

f Isa. 9. 6. Superbia pro injuria. g Exod. 21. 24.

Basilius, Theodoretus, Nicephorus, Euthymius, hac ipsa ratione declarant, videlicet Deum utcumque ferre modicè superbos illos; qui ultra modum sese, efferant punire, ac insigne de iis exemplum edere. Confirmari exemplis multis id potest, in Lucifero, Adamo, Gigantibus, Pharaone, Nabuchodonosore, Antiocho, &c. Alius aliquorum recentiorum sensus, ut Campensis, Espencæi, Ariæ, Genebrardi, Folengii, quibus favent Hugo Cardinalis, Lyranusque, ut Deus ipse retribuat *abundanter his, qui faciunt superbiam*, videtur nonnihil repugnare pietati Dei, quem Theologi trito illo suo axiomate asserunt punire etiam in inferno citra condignum: sicut munerat in cœlo ultra condignum. De hoc axiomate legendus Gabriel Vasquez in primam secundæ *h*, contra Andream Vegam *i*, qui negat. Indicat illud axioma nomen copiosæ mercedis *k*, mensuræ bonæ confertæ, coagitatæ, supereffluentis *l*: præfectura, super decem civitates, ei qui lucratus erat marcas decem, data, ac insuper una, quam piger in sudario reposuerat *m*: denarius diurnus datus novissimis sicut primis, quum hi plus laborassent, non ex pacto, sed ex liberalitate *n*: tandem quia Paulus *o* negat esse condignas passiones hujus temporis ad futuram gloriam. Docere id etiam videntur Basilius *p*, Hilarius *q*, Fulgentius *r*, Ambrosius *s*. Fatendum tamen, ista non aliud efficere necessariò, quam excellentem esse mercedem supra conditionem operum nostrorum, secundùm se spectatorum, non verò ut habent condignitatem à gratia; parabola autem de operariis pertinet non ad præmium, sed ad primam gratiam. Alia ex parte dici solet, daturum Deum cuique secundùm opera sua*, & de suppliciis, quod reddendus sit ultimus quadrans *t*, & quod quantum quis glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum dandum sit tormentum, & luctus *u*, & quod pro mensura peccati erit, & plagarum modus *x*. Quamquam videri etiam posset, in parabola de novissimo quadrante quod dicitur, non debere applicari ad id, quod intenditur, quod est solùm, ut persuadeatur fraterna reconciliatio cum eo, quem offenderis; ut evadas judicium Dei. Locus item Apocalypsis, & Deuteronomii posset intelligi de pœna, quæ culpæ quantitati respondeat. Nihilominus non est recedendum à communiore sententia, quam, quod ad supplicia pertinet, satis innuit Chrysostomus *y*, & Augustinus *z*, & citata loca pro illa probabiliora sunt, quam pro contraria: nec enim excessus negatur in præmio, vel defectus in pœna, cum dicitur habenda ratio meritorum, atque demeritorum.

Theologorum axioma. h Disp. 215. c. 4. i 2. 5. de Justificat. k Mat. 5. 12. l Luc. 6. 38. m infra 19. 17. & seq. n Mat. 20. 12. & seqq. o Rom. 8. 18. p In Ps. 114. q in Ps. 51. r Ad Moni. s In Ps. 43. * Rom. 2. 6. Ps. 61. 13. t Mat. 5. 26. & 18. 34. u Apoc. 18. 7. x Deut. 25. 2. y Hom. 57. in Genes. z De Civ. 21.

Attamen possemus interpretari, abundantem punitionem esse judicio hominum, qui numquam sibi tantam, tamque acerbam persuadere potuissent; sive quia nemo potestatem iræ Dei dinumerare novit *a*, etiam qui justus est: sive quia improbi, & iniqui sibi fingunt, existimantque Deum similem sibi *b*, & idcircò nimis indulgentem, lentum, remissum in castigando: quum autem desævire vident Deum, quod in superbos præsertim, facit, quibus resistit *c*; tùm verò crudelem quoque, sævum, injustum accusant. Diceret quoque aliquis *retribuere abundanter*, idem esse quod sufficienter, &, ut explicat Lyranus, debitè, & ut Hugo Cardinalis, eo modo quo in Apocalypsi *d* dicitur, (duplicando duplicia secundùm opera,) in Osea *e*, ut *respondeat arrogantia in facie arrogantis*.

a Ps. 89. 11. 12. b Ps. 49. 21. c Jacob. 4. 6. Prov. 3. 34. d c. 18. 6. e cap. 5. 5.

Nec respuendus omninò alius sensus, ut dicatur Deus *retribuere abundanter* על יתר *hhal iether*, *super residuum*, idest, iis, qui è superborum gente superfuerunt, *reddendo iniquitatem patrum in sinum filiorum post eos* f, *usque in tertiam, & quartam generationem iis, qui oderunt Deum* g. Quid si etiam על יתר *hhal iether* dicas *super nervum*, sive chordam, & arcum, & exponas, Deum superbis resistere intentis validè contra illos sagittis? Quid si præterea *super fune*, aut *cum fune*, idest, cum mensura illorum superbiæ debita, vel *per funem*, qui laqueus est? Nihil incommodi continent hi dicendi modi. Cajetani expositio planè paradoxa, & singularis, qui sic vertit *Retribuens super superfluum, faciens superbiam*, ut significetur, Deum præmia rependere cum magno, & ineffabili super excessu, nempè superfluè, & faciendo superbiam: non enim, inquit, superbia, semper sumitur in malam partem, sed quandoque in bonam pro magna excellentia; ut apud Isaiam *h*: *Ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem, & generationem*. Juvaret Cajetanum numeri singularis participium עשה *hhoseh*, & vulgò dicunt, rem eximiam cum fastu, & superbia fieri: & *superbæ opes* i sunt maximæ, unde scilicet superbire quis posset. At nimis aberrat à reliquis: è quibus absque cunctatione primus optimus.

f Ier. 32. 18. g Exod. 20. 5. paradoxa Cajetani expositio. Superba in bonam partem. h c. 60. 15. i Prov. 18. 18.

Viriliter agite, &c.) Vigesimi sexti Psalmi versus ultimus penè idem: ex illo pete quæ hujus intelligentiæ serviant. Opportunum verò monitum. Quidni enim, si amant, ut facere ante inducti sunt, & sperant, bonum, fortem, constantem animum gerant? *Diligentes Deus diligit k*: *Si ille pro nobis; quis contra nos l*? Respondet clausula principio: quia qui sperans *non confunditur m*, fiducia roborat animum suum. Audivit quod retribuet Dominus: vellet hìc, ac etiam citò id fieri; dicitque fortassis, ut ait Augustin. O si modo retribueret, modo eos volebam videre humiliatos, atque prostratos idcircò subditur adhortatio ad patientiam.

Viriliter agite.) Inter obedientiæ gradus quintum Bernardus numerat *n*, ut viriliter obediatur, nec ab obedientia quisquam ulla re difficili abduci se sinat.

Omnes qui speratis in Domino.) Hic, & ubique quum de spe sermo incidit, pono falsam esse Scoti *o* sententiam & Durandi *p*, posse nos firmiter sperare per solam spem acquisitam. Lege B. Thomam *q* & Cajetanum *r*, qui Auctores illos hoc nomine refellit: quamvis aliqui *s* eos intelligant loqui de actu tantùm imperfecto, non autem Christianè, & aptè ad obtinendam justificationem: sicut & de actu fidei Durandus idem, cum idem tradit, exponendus videtur.

k Prov. 8. 11. l Rom. 8. 31. m Eccl. 2. 11. Rom. 5. 5. n Serm. de Obed. et gradibus ejus. Obedientiæ gradus quintus. o 1. Di. 26. & 3. D. 17. Scoti et Durandi refutata sententia. q 3. D. 26. q 22. q. 27. r Ibid. s Gregor. de Valen. T. 3. Disp. 1. q. 1. punct. 1. Canon Concilii Tridentini. Sess. 6 can. 3.

Canon unus Tridentini Concilii *t* est: *Si quis dixerit hominem sine Spiritus sancti gratia, & ejus adjutorio posse credere, sperare, & diligere, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: anathema sit*: Tradit præterea *a*, in justificatione infundi divinitus fidem, spem, charitatem. Scolastichè hoc alias tractavimus.

a cap. 7.

PSALMUS VIGESIMUS PRIMUS.

1 Ipsi David intellectus.

Beati, quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata.

2 Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus.

3 Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.

4 Quoniam die, ac nocte gravata est super me manus tua conversus, sum in ærumna mea, dum configitur spina.

5 Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi.

Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.

6 Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno.

Verum tamen in diluvio aquarum multarum, ad eum non approximabunt.

7 Tu es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: exultatio mea eruo me à circumdantibus me.

8 Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos.

9 Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.

In camo, & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.

10 Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circmudabit.

11 Lætamini in Domino, & exultate justi, & gloriamini omnes recti corde.

TITULUS.

Vers. 1.) Ipsi David intellectus.

Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

Vers. 2.) Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus.

Tituli aliorum Psalmorum quum hoc similes.

Similis in aliis præterea Psalmis Titulus 41. 43. 44. 51. 52. 53. 54. 73. 77. 88. 141. Sed in hoc, & in 51. quique posteà positi sunt, Græcus genitivus est συνέσεως in aliis εἰς σύνεσιν: Hebraicè autem in omnibus משכיל *maschil*. Quo fit, ut sicut de nonnullis aliis titulis, priùs annotavimus, non sit *maschil* vel nomen primum in cantilena, ad cujus exemplum hi Psalmi canerentur; vel instrumenti musici quo pulsarentur: Alioqui Lxx. nomen idem Hebræum retinuissent, aut eodem absque modo vertissent, nec dixissent, *intellectus*, sive in obliquo *Psalmus intellectus Davidi*, aut, *Ad intellectum Davidis*, sed, quod attinet ad instrumentum, si id hoc loco significaretur, *super maschil*, *in maschil*, &c.

Ergò *maschil* σύνεσις, *intellectus*, & ut Hieron. reddit, eruditio, aliqui, *erudiens*, vel, *intellectum præstans*, Chaldaicè שכלא *sicla* propriè sumi debet pro *cognitione intellectiva*, quam David peculiariter, aut accipiat, aut tradat, aut utroque modo, aut quam necesse sit habere illum, qui velit hos Psalmos percipere, aut quam cantor, psaltesve ex canendi, ac psallendi modo magis apto ad intelligendum auditoribus, accuratiùs, nempè psallendo sapienter *b* משכיל *maschil* συνετῶς ingenerare debeat. Quare quum adeò multis Psalmis Titulus communis hic sit, generalem quoque illius oportet esse caussam; & idcircò, quod in isto Psalmo dicatur *c* dandum intellectum, ne efficiamur sicut bruta, quibus non est intellectus *d*, non potest esse Tituli sufficiens, ratio, quam affert Innocentius III. & alii *e* quum nihil tale sit in aliis Psalmis, Titulo eodem insignitis. Etsi fatendum est, sicut insipientia est peccatum *f*, ac ignorantia *g*; ita sapientiam censendam, & intellectum, pœnitentiam: tùm verò si, quod accidit Davidi, de peccato condonato certior fias per divinam revelationem: quam Tituli rationem in hoc Psalmo Lyranus dat. Cum qua ratione, & illa concurrit à Toleto, & aliis tradita, quod suo nos exemplo, verbisque David docet, utens etiam verbo שכל *schachal*, אשכילך *aschichlecha*, quod tamen præterea & in Psalmo quinquagesimo facturum dum pollicetur facit re ipsa *h*, *Docebo iniquos vias tuas*, &c. licèt ibi sit אלמדה *alammedah*, Nimirùm erudimur in isto Psalmo nil æquè beatum nobis in hac vita contingere posse, quam remitti peccata benignitate Dei: nihil perniciosiùs, quam peccata occultare, quum eorumdem confessio sit unicum remedium: nullam esse tantam aut gravitatem, aut multitudinem peccatorum, quæ nequeat confessione deleri: malorum, bonorumque ingenia diversa, progressus dissimiles, exitus dispares esse. Solent Hebræi cognominare istum Psalmum לב *leu*, idest, *cor Davidis*, quasi plenum scientia, & eruditione Davidis.

b Ps. 46. 8. c vers. 8. d vers. 9. e Euseb in Ps. 41. Theod. in Ps. 73. & 88. Euthym. hoc loco & Athanasius, Nyssenus Tract. 2. in Ps. c. 3. Latini quoque, & aliqui Hebrai. f Ps. 37. 6. g Ps. 18. 13. h vers. 15.

Agellius *i* benè comprobat generalem illam tituli caussam de canendis psallendisq; appositè ad intelligendum, & distinctè, Psalmis, ex Levitis, ad quorum cor Pararalipomena *k* testantur, tamquam *habentium intelligentiam bonam* המשכילים שכל טוב *hammaschilium sechel tou*, τῶν συνιέντων σύνεσιν ἀγαθὴν, locutum esse Ezechiam.

Cognominatio hujus Psalmi ex Hebræis. i In Præfat. k lib. 2. 30. 32.

Porrò Augustinus in prima enarratione habet: *Ipsi David intelligentia*; in secunda: *Huic David intellectus*. In aliquot codicibus Græcis, ut in Complutensibus, Regiis, &c. & apud Thodoretum, ac Euthymium ψαλμὸς τῷ Δαυὶδ συνέσεως, Psalmus *ipsi David intelligentia*.

ARGUMENTUM.

Jam verò de Psalmi hujus argumento constare satis ex dictis potest: deplorat enim pœnitens David peccata sua, & impœnitentiam præcedentem, quæ duravit ad tempus: eadem peccata confitetur: remissa gratulatur: petit ut à tribulatione liberet Deus, quæ supererat post remissa peccata, & ne relabi permittat Deus: hortatur ceteros ne more brutorum, & exemplo suo (innuens gravem aliquem morbum) stimulis, ac flagellis compelli velint ad benè agendum, & pœnitendum: sed liberè libenterque id faciant, vel propter inenarrabilem lætitiam, quæ ex rectè factis provenit.

Secundus hic de pœnitentialibus Psalmus est; de quibus dictum Psalmo sexto, qui primus in septem collocatur; quamvis fortassis prior huic assignari locus posset, in quo primum pœnitere David cœpisse videtur, ut dixi, post novem nempè, minimum, decemve menses, quia nato jam filio ex adulterio, à Nathan reprehensus est *l*. Athanasius ad Marcellinum, jubet recitari Psalmum istum, vel, si cujus beatitudinem deprædicare velimus, ut sciamus quomodo id oporteat fieri, & de quo, & ad quem ea verba dicenda sint; vel quando conspicimus baptizatos, & liberatos à corru-

Secundus hic de Pœnitentialibus psalmus. l 2. Reg. 12. Recitatio hujus psalmi ab Athanasio imperata.